*Pænitentia motus abiit. Publicani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei.*

✠ Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum 21, 28-32

In illo témpore:
Dixit Iesus princípibus sacerdótum
et senióribus pópuli:

28 «Quid vobis vidétur?
Homo quidam habébat duos fílios.
Et accédens ad primum dixit:
“Fili, vade hódie, operáre in vínea”.
29 Ille autem respóndens ait: “Nolo”;
póstea autem pæniténtia motus ábiit.
30 Accédens autem ad álterum
dixit simíliter.
At ille respóndens ait: “Eo, dómine”;
et non ivit.
31 Quis ex duóbus fecit voluntátem patris?».
Dicunt: «Primus».
Dicit illis Iesus:
«Amen dico vobis:
Publicáni et meretríces præcédunt vos in regnum Dei.
32 Venit enim ad vos Ioánnes in via iustítiæ,
et non credidístis ei;
publicáni autem et meretríces credidérunt ei.
Vos autem vidéntes nec pæniténtiam habuístis póstea,
ut crederétis ei».

Verbum Dómini.